

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

Tit. VI. De Usucapionibus, & longi temporis Praescriptionibus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

TIT. VI.

De Usucapionibus, & longi temporis  
Præscriptionibus.

Præcipua usucapionis requisita, nimirum: 1. Bona fides; 2. Possessio per tempus definitum continuata; 3. Justus titulus.

JURE civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet dominum eum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliave quavis justa causa acceperit; is eam rem, si mobilis erat, anno ubique uno; si immobilis, bien- nio tantum in Italico solo usucaperet, ne rerum dominia in incerto essent. Et cum hoc placitum erat, putantibus antiquioribus, dominis sufficere ad inquirendas res suas præfata tempora: nobis melior sententia refedit, ne domini maturius suis re- bus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur: & ideo \* Constitutionem super hoc promulgavimus, qua cautum est, ut res quidem mobiles, per triennium; immobiles vero per lon- gi temporis possessionem, id est, inter præsentis decennio, inter absentes viginti annis usucapian- tur, & his modis non solum in Italia, sed etiam in omni terra, quæ nostro Imperio gubernatur, do- minia rerum, justa causa possessionis præcedente, acquirantur.

\* v. L. un.  
C. de Usuc.  
transf.

Quæ usucapi possint, vel non: de his, quæ sunt extra commercium, & de servo fugitivo.

1. Sed aliquando, etiam si maxime quis bona fide rem possederit, non tamen illi usucapio ullo tem- pore procedit: veluti si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel servum fugi- tivum possideat.

Ex Caj. l.  
9. ff. d. U.  
surpat. &  
Usuc.

L 5

De

## De rebus furtivis &amp; vi possessis.

2. Furtivæ quoque res, & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore bona fide possessæ fuerint, usucapi possunt. Nam furtivarum rerum Lex duodecim tabularum & lex Atinia inhihent usucapionem: vi possessarum Lex Julia & Plautia. Quod autem dictum est furtivarum & vi possessarum rerum usucapionem per Leges prohibitam esse, non eo pertinet, ut ipse fur, quive per vim possidet, usucapere possit; (nam his alia ratione usucapio non competit, quia scilicet mala fide possident.) sed ne ullus alius, quamvis ab eis bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, usucapiendi jus habeat. Unde in rebus mobilibus non facile procedit, ut bonæ fidei possessoribus usucapio competat. Nam qui sciens alienam rem vendidit, vel ex

\* *Ex Cajo l. 36. pr. ff. cod.* alia causa tradidit, furtum ejus committit. Sed tamen id aliquando aliter se habet. Nam si heres rem defuncto commodatam aut locatam, vel apud eum depositam, existimans hereditariam esse, bona fide accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit; quin is, qui acceperit, usucapere possit, dubium non est: quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit: cum utique heres, qui bona fide tanquam suam alienaverit, furtum non com-

*Ex d. l. 36. §. 1. cod.* mittat. Item si is, ad quem ancillæ ususfructus pertinet, partum suum esse credens vendiderit, aut

*Ex Cajo l. 37. ff. cod.* donaverit, furtum non committit: *furtum* enim sine affectu furandi non committitur. Aliis quo-

que modis accidere potest, ut quis sine vitio furti rem alienam ad aliquem transferat, & efficiat, ut a possessore usucapiatur. Quod autem ad eas res, quæ solo continentur, expeditius ita procedit, ut quis loci vacantis possessionem propter absentiam, aut negligentiam domini, aut quia sine successore

*Ex eod. l. 38. ff. ibid.* decesserit, sine vi nanciscatur: qui quamvis ipse mala fide possideat, (quia intelligit, se alienum fundum

fundum occupasse,) tamen, si alii bona fide accipienti tradiderit, poterit ei longa possessione res acquiri: quia neque furtivum, neque vi possessum acceperit. Abolita est enim quorundam veterum sententia, existimantium, etiam fundi locive furtum fieri. Et eorum utilitati, qui res soli possident, Principalibus \* Constitutionibus prospicitur, ne cui longa, & indubitata possessio debeat auferri.

\* v. Tit. C. de Præscr. long. temp. it. de Pr. 30. l. 40. ann.

*De vitio purgato.*

3. Aliquando etiam furtiva, vel vi possessa res usucapi potest, veluti si in domini potestatem reversa fuerit: tunc enim vitio rei purgato procedit ejus usucapio.

Ex Paulo l. 4. §. 6. cod.

*De re fiscali & de bonis vacantibus.*

4. Res fisci nostri usucapi non potest. Sed Papinianus scripsit, bonis vacantibus fisco nondum nunciatis, bonæ fidei emptorem traditam sibi rem ex his bonis usucapere posse: & ita Divus Pius, & Divi Severus & Antoninus rescripserunt.

Ex Modest. l. 18. cod.

*Regula generalis.*

5. Novissime sciendum est, rem talem esse debere, ut in se non habeat vitium, ut a bonæ fidei emptore usucapi possit, vel qui ex alia justa causa possidet.

*De errore falsæ causæ.*

6. Error autem falsæ causæ usucapionem non parit: veluti si quis, cum non emerit, emisse se existimans possideat; vel cum ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat.

Ex Ulp. l. 27. ff. cod.

*De accessione possessionis.*

7. Diutina possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, & heredi & bonorum possessori continuatur, licet ipse sciat, prædium alienum esse.

Ex Papin. l. 43. pr. ff. cod. & l. 11. ff. d. di-

Quod

*vers. temporal præscript.*

*\* v. L. 2. C. de præscr. long temp.*

Quod si ille initium justum non habuit, heredi & bonorum possessori, licet ignorantibus, possessio non prodest. Quod nostra \* Constitutio similiter & in usucapionibus observari constituit, ut tempora continentur.

8. Inter venditorem quoque & emptorem congiungi tempora, Divi Severus & Antoninus rescripserunt.

*De his, qui a fisco, aut Imperatoris, Augustæve domo, aliquid acceperunt.*

*\* v. L. 2. C. de quadr. præscr.*

9. Edicto D. Marci cavetur, eum, qui a fisco rem alienam emit, si post venditionem quinquennium præterierit, posse dominum rei exceptione repellere. \* Constitutio autem divæ memoriæ Zenonis bene prospexit iis, qui a fisco per venditionem, aut donationem, vel alium titulum accipiunt aliquid; ut ipsi quidem securi statim fiant, & victores existant, sive experiantur, sive conveniantur: adversus autem sacratissimum ærarium usque ad quadriennium liceat iis intendere, qui pro dominio vel hypotheca earum rerum, quæ alienatæ sunt, putaverint sibi quasdam competere actiones. Nostra

*\* v. L. 3. C. de quadriennii præscript.*

autem divina \* Constitutio, quam nuper promulgavimus, etiam de iis, qui a nostra, vel venerabilis Augustæ domo aliquid acceperint, hæc statuit, quæ in fiscalibus alienationibus præfata Zenoniana Constitutione continentur.

I.

**U**sucapio s. Præscriptio longi Temporis est Acquisitio Domini per Possessionis, a non Domino bona Fide acceptæ, Continuationem Tempore Lege definito. l. 3. ff. b. PR. J. b. j. L. 28. ff. d. V. S. (a) De illius Requisitis agit Versf.

(a) Videtur rem alienare, qui eam patitur usucapi. L. 28. ff. d. V. S.

*Justa*

*Justa Fides, justus Titulus, Res non vitiosa,  
Ut Res tradatur, Tempus quoque continuetur.*

II. *Bona Fides* est justa & firma Opinio, qua quis credit Rem suam esse, l. 109. ff. d. V. S. a. l. 32. §. 1. ff. h. eaque necessaria est Jure Civili ab Initio Usucapionis: PR. J. h. j. leg. un. C. d. Usucap. Transform. (b) Jure Canonico & hodierno quovis Tempore Usucapionis. C. f. X. d. præscript. P. 2. C. El. 3.

III. *Justus est Titulus*, idoneus ad transferendum Dominium, e.g. emti, donati. PR. J. h. Non sufficit erroneus, veluti cum in Facto erratur; §. VI. J. h. nisi concurrat justa, cur erratum fit, Causa. l. 11. ff. pro emt.

IV. *Diurnitas Temporis* exigitur; quæ est Jure Civili novo in Rebus mobilibus 3. in immobilibus inter præsentibus 10. inter absentes 20. Ann. PR. J. h. Jure Saxonico in Rebus mobilibus Anni 6. Sept. & 3. D. a. R. l. 1. a. 28. j. R. c. 16. idque Tempus non nisi scienti currit: d. art. 28. Carpz. P. 2. C. 3. d. 13. In Rebus immobilibus 31. Ann. 6. Sept. & 3. D. R. l. 1. a. 29.

V. Usucapio exposcit *Rei Traditionem* usucapienti factam, l. 9. §. 1. ff. d. public. in rem act. ut habeat justum Possessionis Initium. PR. J. h. L. 11. ff. d. R. J. (c)

(b) *Bona Fides in Possessore Rei Jure Civili saltem Initio Usucapionis*, L. un. C. d. Usuc. transfer. at Jure Canonico & hodierno quovis Tempore Præscriptionis requiritur. C. f. X. d. præscr. C. 1. d. præscr. 6.

(c) *Id quod nostrum est, sine Facto nostro ad alium transferri non potest.* L. 11. ff. d. R. J.

VI. Usucap.

VI. *Usucapio obtinet in Re in Commercio constituta; itaque non usucapitur liber Homo, §. I. J. b. l. 103. ff. d. V. O L. 3. ff. si quadr. paup. fec. (d)*  
 §. 1. I. h. neque Res sacra, neque Res religiosa. §. I. J. b.

VII. *In Usucapione desideratur Res Lege usucapi non prohibita. l. 24. ff. b. Prohibetur autem Res usucapi ob illius Odium, vel Favorem. Propter Odium I. Res furtiva; etiam Servus fugitivus; §. I. J. b. sive eam possideat Fur sive tertius, ut Emtor. §. II. J. b. (e) Deficit autem Furti Vitium, quando (1) abest ab alienante Affectus furandi, (2) Vitium Rei furtivæ est purgatum, eadem in Potestatem Domini, illam furtivam esse scientis, l. 4. §. 12. ff. b. legitimo modo reversa, Dominove alia ratione, veluti Litis Æstimatione soluta, satisfactum. l. 4. §. 13 ff. eod. j. §. III. J. b. II. Res vi possessa, i. e. cujus Possessio a deficiente, veteri Possessore expulso, occupata est, l. 1. §. 28. ff. d. vi & vi arm. sive eam possideat Invasor aut Raptor, sive tertius; §. II. J. b. Nisi hic quoque §. 3. I. h. Vitium Violentiæ fuerit purgatum. §. III. J. b. Interim Fundo vacante ob Domini Absentiam vel Negligentiam mala Fide occupato & in B. F. accipientem translato, ejusdem Usucapio procedit: Vi enim apprehensa non est Possessio Loci vacantis, & Furtum Rei immobilis non fit, §. II. J. b. modo verus Dominus Alienatione intellecta*

(d) *Liberum Corpus Æstimationem non recipit. L. 3. ff. si quadrup. paup. fec.*

(e) *Furtum sine Affectu furandi non committitur. §. II. J. b.*

10. Ann. inter præsentēs, 20. inter absentes tacuerit. *N. 119. c. 7. j. Auth. Mala fidei C. d. præsc. long. temp.*

VIII. *Prohibetur Usucapi, ob illius Favorem*

I. *Res Fiscalis*, Fisco penitus acquisita; §. IV. *J. b. §. 4. I. h.* siquidem ea 40. Annis præscribitur. *l. 4. C. d. præscr. 30. l. 40. ann.* Cæterum Bona Fisco nondum nunciata usucapi queunt, *d. §. IV. l. 18. ff. b.* ipsique Nuntiationi Quadriennio præscribitur: *l. 1. §. 2. ff. d. Jur. fisc. j. l. 1. C. d. quadr. 2. præscr.* Domania vero Bona immemoriali Tempore demum adversus Remp. præscribuntur; *a. C. 26. X. d. V. S. l. 2. §. 3. ff. d. aqua, & aqv. pluv. arc. act. j. c. 33. X. d. jurej. R. J. d. A. 1548. §. 56. ceu resp. E. J. L. M. Sept. 703.* Unde non ignoti sunt *hodie* Revisionum, Reunionum, Reductionum Tituli. II. *Res Pupillorum*, *l. 48. ff. d. acquir. rer. dom. Minorum. l. f. C. in quib. Caus. in integr. rest. j. §. V. J. b. §. VI. vid. Pr. b. f. §. 5. 6. I. h.*

IX. *Usucapio requirit Possessionem continuatam in Persona propria l. Successoris sive universalis*: ut Hæredis, Bonorum Possessoris, licet hic Possessor sit in mala Fide, quia Personam Antecessoris, qui justum habuit usucapiendi Initium, repræsentat; §. VII. *J. b. Hodie in Hærede Usucapionem continuante etiam requiritur bona Fides; a. c. f. X. d. Præscript. sive singularis*: ut Emptoris, §. VIII. *J. b. Legatarii: l. 14. §. 1. ff. b.* Hic enim Antecessoris sui Accessione uti potest, dummodo ipse sit in bona Fide. *l. 2. §. 17. ff. pro Emt.*

X. *Usucapio pro Affini agnoscit Præscriptionem, eaque est Rei Jurisve Acquisitio vel Exclusio*



*sio* cum vel sine Possessione, & dividitur in (1) *temporalem*, quæ *brevi* sed extraordinario Tempore (non Possessione 3. 10. 20. Ann. ut in Usucapione) perficitur. *j. §. IV. F. h. & Tract. mea Syn. Pand. Th. Pr. t. d. divers. temp. præscr. p. 572. seq. in Tabb.* Ita Actioni adversus Fiscum, vel Domum venerabilem Principis vel Augustæ pro Dominio, Hypotheca, &c. Rerum ab iis alienatarum inten-

**§. 9. I. h.** tandæ Quadriennio præscribitur: *§. IX. F. h. l. 2. C. d. quadrienn. præscript.* Verum is, qui Rem alienatam acquisivit, statim est securus, quæ Præscriptio *etiam ad nostros Principes* Statusque Imperii, Res Fiscii alienantes, applicari potest. (2) *Longissimi Temporis*, & denotat Acquisitionem Juris (ut Exceptionis Reive) per continuam *Possessionem* aut *Negligentiam* 30. vel 40. Annorum. *l. 3. l. 4. Leg. 8. pr. §. 1. C. d. præscript. 30. l. 40. Ann.* Hodie in Præscriptione Rerum possellarum semper requiritur bona Fides: *a. C. f. X. de præscript. P. 2. C. El. 3. Jure Sax. 30. Ann. Præscriptioni, etiam Actionum, accedit Additamentum Ann. Sax. 6. Sept. & 3. D. a. R. l. 1. a. 29.* (3) *Centenariam*, quæ est Acquisitio Rei Jurisve per Possessionem 100. Annorum. *C. 14. X. d. præscript. Nov. 9. j. N. 131. c. 6 N. III. c. 1.* (4) *Inmemorialem*, quæ est Acquisitio Rei Jurisve per Possessionem aut Negligentiam ejus Temporis, *cujus in contrarium Memoria non extat.* *C. 1. d. præscript.* Hac Præscriptione acquiruntur Regalia. *C. 26. X. d. V. S. (f)*

(f) *Inmemoriali Tempore præscribuntur Actiones & Jura, quæ breviori Tempore præscribi non possunt.* *C. 26. X. d. V. S. C. 1. d. Præscript. 6.*

TIT.

TIT. VII.

De Donationibus.

De donatione.

EST & aliud genus acquisitionis, donatio. Donationum autem duo sunt genera; *mortis causa* & *non mortis causa*.

De mortis causa donatione.

i. Mortis causa donatio est, quæ propter mortis sit suspicionem: cum quis ita donat, ut si quid humanitus ei contigisset, haberet is, qui accepit: sin autem supervixisset, is, qui donavit, reciperet: vel si eum donationis pœnituisset, aut prior decefferit, is, cui donatum sit. Hæ mortis causa donationes ad exemplum legatorum redactæ sunt per omnia. Nam cum Prudentibus ambiguum fuerat, utrum donationis, an legati instar eam obtinere oporteret, & utriusque causæ quædam habebat insignia, & alii ad aliud genus eam retrahebant: a nobis \* constitutum est, ut per omnia fere legatis connumeretur, & sic procedat, quemadmodum nostra Constitutio eam formavit. Et in summa, *mortis causa donatio est, cum magis se quis velit habere, quam eum, cui donat; magisque eum, cui donat, quam heredem suum.* Sic & apud Homerum Telemachus donat Piræo.

\* v. l. f. C. de donat. caus. mort. Ex Martian. l. i. ff. de mort. caus. don.

Πείραι, εἰ γὰρ τ' ἴδμεν ὅπως ἔσται τὰδε ἔργα,  
 Εἶπεν ἐμὲ μνηστῆρες ἀγνήτορες ἐν μεγάροισι  
 Ἀδελφῆ κτείναντες πατρώια πάντα δάσονται,  
 Αὐτὸν ἔχοντά σε βύλου ἐπαυρέμεν, ἢ τινὰ τῶνδε.  
 Εἰ δὲ καὶ γὰρ τέτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω,  
 Ἀὐτὸ τότε μοι χαίροντι φέγειν πρὸς δώματα χαλκῶν.

Ωδυσσ. ε' v. 38.

Piræe, non enim scimus, quomodo erunt hæc opera,  
 Si me proci superbi in domibus  
 Clam interfecto, paterna omnia dividant,  
 Te ipsum habentem malo frui, quam aliquem horum:  
 Sin ego his cædem & mortem patraverò,  
 Tunc mibi gaudenti portato ad domus gaudens.

M

De

